

quid determinatum non est aliquid majus in illo ordine; potest tamen accipi aliquid aliud majus extra illum ordinem. Per hunc igitur modum infinita sunt in potentia creature; & tamen plura sunt in potentia Dei quam in potentia creature. Et similiter anima Christi scit infinita scientia simplicis intelligentiæ; plura tamen scit Deus secundum hanc scientiæ, vel intelligentiæ modum.

ARTICULUS IV. 71

Utrum anima Christi videat Verbum, sive divinam essentiam, claris qualibet alia creatura.

Sup. quest. 1x. art. 2. c. & inf. quest. xi. art. 5. ad 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod anima Christi non perfectius videat Verbum quam qualibet alia creatura. Perfectio enim cognitionis est secundum medium cognoscendi; sicut perfectior est cognitio que habetur per medium syllogismi demonstrativi, quam que habetur per medium syllogismi dialectici. Sed omnes beati vident Verbum immediate per ipsam divinam essentiam, ut in I. Parte dictum est (quest. xii. art. 2.) Ergo anima Christi non perfectius videt Verbum quam qualibet alia creatura.

2. Præterea, Perfectio visionis non excedit potentiam visivam. Sed potentia rationalis animæ, qualis est anima Christi, est infra potentiam intellectivam Angeli, ut patet per Dionysium xv. cap. epl. Hier. (ante med.) Ergo anima Christi non perfectius videt Verbum quam Angeli.

3. Præterea, Deus in infinitum perfectius videt Verbum suum quam anima Christi. Sunt ergo infiniti gradus medij possibiles inter modum quo Deus videt Verbum suum, & inter modum quo anima Christi videt Verbum ipsum. Ergo non est asserendum, quod anima Christi perfectius videat Verbum, vel essentiam divinam, quam qualibet alia creatura.

Sed contra est quod Apostolus dicit ad Ephes. 1. 20. quod Deus constituit Christum ad dexteram suam in cælestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Sed in illa cælesti gloria tanto aliquis est superior, quanto perfectius cognoscit Deum. Ergo anima Christi perfectius videt Deum quam quavis alia creatura.

Respondet dicendum, quod visio divine essentia convenit omnibus beatis secundum participationem luminis derivati in eos à fonte Verbi Dei, secundum illud Eccl. 1. 5. Fons sapientiæ, Verbum Dei in

excelsis. Huic autem Verbo Dei propinquius conjungitur anima Christi, que est unita Verbo in persona, quam quavis alia creatura. Et ideo plenius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur ab ipso Verbo, quam quacumque alia creatura. Et ideo præ ceteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem, que est Dei essentia: unde dicitur Joan. 1. 14. Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre plenam non solum gratia; sed etiam veritatis.

Ad primum ergo dicendum, quod perfectio cognitionis, quantum est ex parte cogniti, attenditur secundum medium; sed quantum est ex parte cognoscentis, attenditur secundum potentiam, vel habitum. Et inde est quod etiam inter homines per unum medium unus perfectius cognoscit aliquam conclusionem quam alius. Et per hunc modum anima Christi, que abundantiori repletur lumine, perfectius cognoscit divinam essentiam quam alii beati, licet omnes ipsam Dei essentiam videant per seipsam.

Ad secundum dicendum, quod visio divine essentia excedit naturalem potentiam cuiuslibet creature, ut in prima parte dictum est (quest. xii. art. 4.) Et ideo gradus in ipsa attenduntur magis secundum ordinem gratiæ in quo Christus est excellentissimus, quam secundum ordinem nature, secundum quem natura angelica præfertur humane.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est de gratia (quest. vii. art. 12.) quod non potest esse major gratia Christi per respectum ad unionem Verbi: idem etiam dicendum est de perfectione divine visionis; licet absolute considerando, possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem divine potentia.

QUÆSTIO XI.

De scientia indita, vel insula animæ Christi, in sex articulis divisa.

Deinde considerandum est de scientia indita, vel insula anime Christi: & circa hoc quaruntur sex.

Primo, utrum secundum hanc scientiam Christus sciat omnia.

Secundo, utrum hac scientia uti poterit non convertendo se ad phantasmata.

Tertio, utrum hac scientia fuerit collativa.

Quarto, de comparatione hujus scientia ad scientiam angelicam.

Quinto, utrum fuerit scientia habitualis.

Sexto, utrum fuerit distincta per diversos habitus.

AR-

ARTICULUS I. 72

Utrum secundum scientiam inditam, vel insulam Christus omnia sciat.

Inf. quest. xii. art. 1. c. & ad 3. & III. dist. xiv. quest. 1. art. 3. quest. 1. & quest. 4. corp. & quest. 5. ad 2. & ver. quest. xx. art. 6. & opus. 11. cap. CCXVI.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod secundum hanc scientiam Christus non cognoverit omnia. Hec enim scientia indita est Christo ad perfectionem possibilis intellectus ejus. Sed intellectus possibilis anime humane non videtur esse in potentia ad omnia simpliciter, sed ad illa sola in que potest reduci in actum per intellectum agentem, qui est proprium activum ipsius; que quidem sunt cognoscibilia secundum rationem naturalem. Ergo secundum hanc scientiam non cognovit Christus ea que naturalem rationem excedunt.

2. Præterea, Phantasmata se habent ad intellectum humanum sicut colores ad visum, ut dicitur in III. de anima (simplic. tex. 18. 31. & 39.) Sed non pertinet ad perfectionem visivæ potentie cognoscere ea que sunt omnino absque colore. Ergo neque ad perfectionem intellectus humani pertinet cognoscere ea, quorum non possunt esse phantasmata, sicut sunt substantia separata. Sic ergo cum hujusmodi scientia fuerit in Christo ad perfectionem anime intellectivæ ipsius, videtur quod per hujusmodi scientiam non cognoverit substantias separatas.

3. Præterea, Ad perfectionem intellectus non pertinet cognoscere singularia. Videtur ergo quod per hujusmodi scientiam anima Christi singularia non cognoverit.

Sed contra est quod dicitur II. x. quod replebit eum Spiritus sapientiæ, & intellectus, scientiæ, & consilij: sub quibus comprehenduntur omnia cognoscibilia: nam ad sapientiam pertinet cognitio omnium divinorum; ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium; ad scientiam autem pertinet cognitio omnium conclusionum; ad consilium autem cognitio omnium agibilibus. Ergo videtur quod Christus secundum scientiam inditam sibi per Spiritum Sanctum habuerit omnium cognitionem.

Respondet dicendum, quod, sicut prius dictum est (quest. ix. art. 1.) conveniens fuit ut anima Christi omnino esset perfecta per hoc quod omnis ejus potentialitas sit reducta ad actum. Est autem considerandum, quod in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva: una quidem per comparationem ad agens naturales;

alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiore actu in quem reducitur per agens naturale: & hec consuevit vocari potentia obedientia in creatura. Utraque autem potentia anime Christi fuit reducta in actum secundum hanc scientiam divinam inditam. Et ideo secundum eam anima Christi primo quidem cognovit quacumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis; sicut sunt quacumque pertinent ad scientias humanas: secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa que per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertinent ad donum sapientiæ, sive ad donum prophetiæ, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti: omnia enim ista abundantius, & plenius ceteris cognovit anima Christi. Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognovit, sed solum per primam, de qua supra dictum est (quest. præc.)

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de potentia naturali anime intellectivæ, que scilicet est per comparationem ad agens naturale, quod est intellectus agens.

Ad secundum dicendum, quod anima humana in statu hujus vite, quia quodammodo est ad corpus obligata, ut sine phantasmate intelligere non possit, non potest intelligere substantias separatas. Sed post statum hujus vite anima separata poterit aliquantulum substantias separatas per seipsam cognoscere, ut in I. Parte dictum est (quest. lxxxix. art. 1. & 2.) & hoc præcipue manifestum est circa animas beatorum. Christus autem ante passionem non solum fuit viator, sed etiam comprehensor: unde anima ejus poterat cognoscere substantias separatas per modum quo cognoscit anima separata.

Ad tertium dicendum, quod cognitio singularium non pertinet ad perfectionem anime intellectivæ secundum cognitionem speculativam; pertinet tamen ad perfectionem ejus secundum cognitionem practicam, que non perficitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio, ut dicitur in VI. Ethic. (cap. vii. cir. fin.) Unde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio presentium, & providentia futurorum, ut Tullius dicit in sua Rhetor. (Lib. II. de invent. aliquant. ante fin.) Quia igitur Christus habuit plenitudinem prudentiæ secundum donum consilij, consequens est quod cognoverit omnia singularia presentia, præterita, & futura.

AR-

ARTICULUS IV. 85

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis sue voluntatis.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod anima Christi non habuerit omnipotentiam respectu executionis propriæ voluntatis. Dicitur enim Marcii vii. quod ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere. Non ergo potuit in omnibus exequi propositum suæ voluntatis.

2. Præterea. Præceptum est signum voluntatis, ut in prima parte dictum est (quæst. xix. art. 12.) Sed Dominus quædam faciendæ præcepta, quorum contraria acciderunt: dicitur enim Matth. ix. 31. quod cæcis illuminationis comminatus est Jesus, dicens: *Videte ne quis sciatis. Illi autem exeuntes dissipaverunt illum per totam terram illam.* Non ergo in omnibus potuit exequi propositum suæ voluntatis.

3. Præterea. Id quod potest aliquis facere, non petit ab alio. Sed Dominus petivit à Patre, orando illud quod fieri volebat: dicitur enim Lucæ vi. 12. quod *exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Ergo non potuit exequi in omnibus propositum suæ voluntatis.

Sed contra est quod dicit Augustinus (alius Auctor) in Lib. de questionibus veteris, & novi Testamenti (quæst. lxxvii. in princ.) *Impossibile est ut Salvatoris voluntas non impleatur; nec potest velle quod scit fieri non debere.*

Respondendo dicendum, quod anima Christi dupliciter aliquid voluit. Uno modo quasi per se implendum: & sic dicendum est, quod quicquid voluit, potuit: non enim conveniret sapientiæ ejus ut aliquid vellet per se facere quod suæ virtuti non subjaceret. Alio modo voluit aliquid ut implendum virtute divina, sicut refuscitationem proprii corporis, & alia hujusmodi miraculosa opera: quæ quidem non poterat propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum Divinitatis, ut dictum est (art. 11. huj. quæst.)

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in Lib. de questionibus veteris, & novi Testamenti (ut sup.) quod factum est, hoc voluisse dicendum est Christi. Advertendum est enim, quod illud in finibus gestum est Gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat. Ultero tamen venientes ad fidem non suscipere, invidiosus erat. A suis ergo noluit prædicari, requiri autem se voluit: & ita factum est. Vel potest dici, quod hæc voluntas Christi non fuit de eo quod per eam sciendum erat, sed de eo quod erat sciendum per alios, quod non subiaceret humanæ voluntati ipsius. Unde in epistola Agathonis Papæ, quæ est recepta in

sexta Synodo, (scilicet Constant. III. act. iv. à med. epist.) legitur: *Ergo ille omnium Conditor, ac Redemptor, in terris latere volens non potuit, nisi hoc ad humanam ejus voluntatem, quam temporaliter est dignatus assumere, redigatur?*

Ad secundum dicendum, quod, sicut Gregorius dicit XIX. Moral. (cap. xiv. à princ.) per hoc quod Dominus præcepit tacere virtutes suas, servit suis se sequentibus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultari desiderarent, & tamen ut aliis eorum exemplo proficiant, prædicantur invitati. Sic ergo præceptum illud designabat voluntatem ipsius, quæ humanam gloriam fugiebat, secundum illud Joan. vii. 50. *Ego gloriam meam non quero.* Volebat tamen absolute, præferri secundum divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum propter aliorum utilitatem.

Ad tertium dicendum, quod Christus orabat & pro his quæ virtute divina scienda erant, & pro his etiam quæ humana voluntate erat facturus: quia virtus, & operatio animæ Christi dependebat à Deo, qui operatur in nobis velle, & perficere, ut dicitur Philip. 11. 13.

QUÆSTIO XIV.

De defectibus corporis assumpti à Filio Dei, in quatuor articulis divisæ.

DEinde considerandum est de defectibus quos Christus in humana natura assumpsit: & primo de defectibus corporis; secundo de defectibus animæ.

Circa primum queruntur quatuor.

Primo, utrum Filius Dei assumere debuerit in humana natura corporis defectus.

Secundo, utrum assumpserit necessitatem his defectibus subjacendi.

Tertio, utrum hos defectus contraxerit.

Quarto, utrum omnes defectus assumpserit.

ARTICULUS I. 86

Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus.

III. dist. xv. quæst. 1. art. 1. & dist. xxxi. quæst. 11. art. 1. quæst. 1. cap. & IV. contr. cap. lv. & opusc. 11. cap. ccxxvi.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Filius Dei non debuerit assumere humanam naturam cum corporis defectibus. Sicut enim anima unita est personaliter Verbo Dei, ita & corpus. Sed anima Christi habuit omnimodam perfectionem & quantum ad gratiam, & quantum ad scientiam, ut supra dictum

est (quæst. vii. art. 9. & quæst. xxi. art. 1.) Ergo etiam corpus ejus debuit esse omnimodum perfectum, nullum in se habens defectum.

2. Præterea. Anima Christi videbat Verbum Dei ea visione quæ beati vident, ut supra dictum est (quæst. ix. art. 2.) & sic anima Christi erat beata. Sed ex beatitudine animæ glorificatur corpus: dicit enim Augustinus in epistola ad Dioscorum (cxviii. al. lxi. ante med.) *Tam potenti natura Deus sicut animam, ut esse ejus plenissima beatitudine redderet etiam in inferiorum naturam, quæ est corpus, non beatitudo quæ sumentis, & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor.* Corpus igitur Christi fuit incorruptibile, & absolute omni defectu.

3. Præterea. Pena consequitur culpam. Sed in Christo non fuit aliqua culpa, secundum illud I. Pet. 11. 22. *Qui peccatum non fecit.* Ergo nec defectus corporales, qui sunt penales, in eo esse debuerunt.

4. Præterea. Nullus sapiens assumit id quod impedit ipsum à proprio fine. Sed per hujusmodi defectus corporales multipliciter videtur impediri finis incarnationis. Primo quidem quia propter hujusmodi infirmitates homines ab ejus cognitione impediuntur, secundum illud Isa. lxi. 2. *Desideravimus eum despectum, & novissimum virorum, virum dolerum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus voluit ejus, & despectus: unde nec reputavimus eum.* Secundo quia sanctorum patrum desiderium non videtur impleri, ex quorum persona dicitur Isa. li. 9. *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini.* Tertio quia congruentius per fortitudinem quam per infirmitatem videbatur & potestas diaboli posse superari, & humana infirmitas posse sanari. Non ergo videtur conveniens fuisse quod Filius Dei humanam naturam assumpserit cum corporalibus infirmitatibus, sive defectibus.

Sed contra est quod dicitur Hebr. 11. 18. *In eo in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis qui tentantur, auxiliari.* Sed ad hoc venit ut nos adjuvaret: unde & David dicebat Psal. cxx. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Ergo conveniens fuit ut Filius Dei carne assumpserit infirmitatibus humanis subjacentem, ut in ea posset pati, & tentari, & sic auxilium nobis ferre.

Respondendo dicendum, conveniens fuisse, corpus assumptum à Filio Dei humanis infirmitatibus, & defectibus subjacere; & præcipue propter tria. Primo quidem quia ad hoc Filius Dei, carne assumpta, venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret. Unus autem pro peccato alterius satisficit, dum penam pro peccato alterius debitam in se suscipit. Hujusmodi autem defectus

corporales, scilicet mors, fames, sitis, & hujusmodi, sunt pena peccati, quod est in mundum per Adam introductum, secundum illud Rom. vi. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Unde conveniens fuit quantum ad finem incarnationis quod hujusmodi penalitates in nostra natura susciperet vice nostra, secundum illud Isa. li. 11. 4. *Vere languores nostros ipse tulit.* Secundo propter fidem incarnationis adtribuendam. Cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout hujusmodi corporalibus defectibus subjacet, si sine his defectibus Filius Dei humanam naturam assumpserit, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, ut Manichæi posuerunt. Et ideo dicitur Philip. 11. 7. *exinavit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Unde & B. Thomas per aspectum vulnerum est ad fidem revocatus, ut dicitur Joan. xx. Tertio propter exemplum patientiæ quod nobis exhibet, passionis, & defectus humanos fortiter tolerando: unde dicitur Hebr. xii. 3. *Sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigaret animi vestris deficientes.*

Ad primum ergo dicendum, quod satisfactio pro peccatis alterius habet quidem, quasi materiam, penas quas aliquis pro peccato alterius sustinet: sed pro principio habet habitum animæ, ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, & ex quo satisfactio efficaciam habet: non enim esset efficax satisfactio nisi ex caritate procederet, ut infra dicitur (Vid. Supplem. quæst. xiv. art. 2.) Et ideo oportuit animam Christi perfectam esse quantum ad habitus scientiarum, & virtutum, ut haberet facultatem satisfaciendi; & quod corpus ejus esset subiectum infirmitatibus, ut ei satisfaciendis materia non deesset.

Ad secundum dicendum, quod secundum naturalem habitudinem, quæ est inter animam & corpus, ex gloria animæ redundat gloria ad corpus. Sed hæc naturalis habitudo in Christo subjacebat voluntati Divinitatis ipsius, ex qua factum est quod beatitudo remaneret in anima, & non derivaretur ad corpus; sed caro pateretur quæ conveniunt naturæ passibili, secundum illud quod Damascenus dicit Lib. III. (orth. Fil. cap. xv. à med.) quod *beneficentia divina voluntatis premittebatur carni pati, & operari quæ propria.*

Ad tertium dicendum, quod pena semper sequitur culpam actuale, vel originalem, quandoque quidem ejus qui puniuntur, quandoque autem alterius, pro quo ille qui penas patitur, satisficit. Et ita accidit in Christo,

in actu. Non ergo habuit habituales scientiam.

2. Præterea. Cum habitus ordinetur ad actum, frustra videtur esse habitus scientia, quæ nunquam in actu reducitur. Cum autem Christus sciverit omnia, sicut iam dictum est (quæst. x. art. 2.) non potuisset actu omnia illa considerare, unum post aliud cogitando, quia infinita non est enumeratio per transire. Frustra igitur fuisset in eo quorundam scientia habitualis: quod est inconueniens. Habuit ergo actualem scientiam omnium quæ scivit, & non habituales.

3. Præterea. Scientia habitualis est quedam perfectio scientis. Perfectio autem est nobilior perfectibili. Si igitur in anima Christi fuisset aliquid habitus scientiæ creatus, sequeretur quod aliquid creatum esset nobilior quam anima Christi. Non igitur in anima Christi fuit scientia habitualis.

Sed contra. Scientia Christi, de qua nunc loquimur, uniuoca fuit scientiæ nostræ, sicut & anima eius fuit unius speciei cum anima nostra. Sed scientia nostra est in genere habitus. Ergo & scientia Christi fuit habitualis.

Respondendo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. præc.) modus huius scientiæ indiget animæ Christi fuit conueniens ipsi subiecto recipienti. Nam receptum est in recipiente per modum recipientis. Est autem hic modus connaturalis animæ humanæ, ut quandoque sit intelligens actu, quandoque in potentia. Medium autem inter puram potentiam, & actum completum est habitus. Eiusdem autem generis sunt modum, & extrema. Et sic patet quod modus connaturalis animæ humanæ est ut recipiat scientiam per modum habitus. Et ideo dicendum est, quod scientia indita animæ Christi fuit habitualis; & poterat ea uti quando volebat.

Ad primum ergo dicendum, quod in anima Christi fuit duplex cognitio; & utraque suo modo perfectissima. Uno quidem excedens modum naturæ humanæ, quia scilicet videt Dei essentiam, & alia in ipsa; & hæc fuit perfectissima simpliciter: & talis cognitio non fuit habitualis, sed actualis respectu omnium quæ hoc modo cognouit. Alia autem cognitio fuit in Christo secundum modum proportionatum humanæ naturæ, prout scilicet cognouit res per species sibi diuinitus indicatas, de qua cognitione nunc loquimur: & hæc cognitio non fuit simpliciter perfectissima, sed perfectissima in genere humanæ cognitionis: unde non oportuit quod esset semper in actu.

Ad secundum dicendum, quod habitus reducitur in actum ad imperium voluntatis: nam habitus est quo quis agit cum voluerit,

Voluntas autem indeterminate se habet ad infinita. Nec tamen hoc est frustra, licet non in omnia actualiter tendat; dummodo tendat actualiter in id quod conuenit loco, & temporali. Et ideo etiam habitus non est frustra, licet non omnia reducatur in actum, quæ habitus subjacent; dummodo reducatur in actum id quod congruit ad debitum finem voluntatis, secundum exigentiam negotiorum, & temporis.

Ad tertium dicendum, quod bonum, sicut & ens, dupliciter dicitur. Uno modo simpliciter: & sic bonum, & ens dicitur substantia, quæ in suo esse, & sua bonitate subsistit. Alio modo dicitur ens, & bonum secundum quid: & hoc modo dicitur ens, & bonum accidens, non quia ipsum habeat esse, & bonitatem, sed quia eius subiectum est ens, & bonum. Sic igitur scientia habitualis non est simpliciter melior, aut dignior quam anima Christi, sed secundum quid; cum tota bonitas habitualis scientiæ cedat in bonitatem subiecti.

ARTICULUS VI. 77

Utrum hæc scientia fuerit distincta per diuersos habitus.

III. distinctio xiv. quæst. 1. art. 3. quæst. 3.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod in anima Christi non fuerit nisi unus habitus scientiæ. Quanto enim scientia est perfectior, tanto est magis unita: unde & Angeli superiores per formas magis universales cognoscunt, ut in prima parte dictum est (quæst. lv. art. 3.) Sed scientia Christi fuit perfectissima. Ergo fuit maxime una. Non ergo fuit distincta per plures habitus.

2. Præterea. Fides nostra derivatur a scientia Christi: unde dicitur Hebr. xii. 2. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum.* Sed unus est habitus fidei de omnibus credibilibus, ut in secunda parte dictum est (2. 2. quæst. lv. art. 6.) Ergo multo magis in Christo non fuit nisi unus habitus scientiæ.

3. Præterea. Scientiæ distinguuntur secundum diuersas rationes scibilibus. Sed anima Christi omnia scivit secundum unam rationem, scilicet secundum lumen diuinitus infusum. Ergo in Christo fuit tantum unus habitus scientiæ.

Sed contra est quod Zachar. iiii. 9. dicitur, quod *super lapidem unum, id est Christum, sunt seperti oculi.* Per oculum autem scientia intelligitur. Ergo videtur quod in Christo fuerint plures habitus scientiæ.

Respondendo dicendum, quod, sicut dic-

tum est (art. 2. & 4. huius quæst.) scientia indita animæ Christi habuit modum connaturalis animæ humanæ. Est autem connaturalis animæ humanæ ut recipiat species in minori universalitate quam Angeli; ita scilicet quod diuersas naturas specificas per diuersas species intelligibiles cognoscat. Ex hoc autem contingit quod in nobis sint diuersi habitus scientiarum, quia sunt diuersa scibilibus genera, in quantum scilicet ea quæ reducuntur in unum genus, eodem habitu scientiæ cognoscuntur; sicut dicitur in I. Posterior. (text. 42.) quod *anima scientia est quæ est unius generis subiecti.* Et ideo scientia indita animæ Christi fuit distincta secundum diuersos habitus.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 4. huius quæst.) scientia animæ Christi est perfectissima, & excedens Angelorum scientiam quantum ad id quod consideratur in ea ex parte Dei influentis; est tamen infra scientiam angelicam quantum ad modum recipientis. Et ad huiusmodi modum pertinet quod scientia illa per multos habitus distinguatur, quasi per species magis particulares existens.

Ad secundum dicendum, quod fides nostra innititur primæ veritati: & ideo Christus est auctor fidei nostræ secundum diuinam scientiam, quæ est simpliciter una.

Ad tertium dicendum, quod lumen diuinitus infusum est communis ratio intelligendi ea quæ diuinitus reuelantur, sicut & lumen intellectus agentis eorum quæ naturaliter cognoscuntur. Et ideo oportuit esse in anima Christi proprias species singularum rerum, ad cognoscendum cognitione propria unumquodque: & secundum hoc oportuit esse diuersos habitus scientiæ in anima Christi, ut dictum est (in corp. art.)

QUÆSTIO XII.

De scientia anime Christi acquisita,

in quatuor articulis diuisa.

DEinde considerandum est de scientia Christi acquisita, vel experimentalis: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo, utrum secundum hanc scientiam cognouerit omnia.

Secundo, utrum in hac scientia profecerit.

Tertio, utrum aliquid ab homine didicerit.

Quarto, utrum acceperit aliquid ab Angelis.

Ad primum dicendum, quod licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subiecta omnia sensibilia; fuerunt tamen sensibus eius subiecta aliqua sensibilia, ex quibus prop-

ARTICULUS I. 78

Utrum secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod

AD primum sic proceditur. Videtur quod secundum hanc scientiam Christus non omnia cognouerit. Huiusmodi enim scientia per experientiam acquiritur. Sed Christus non omnia expertus est. Non igitur omnia secundum hanc scientiam scivit.

Præterea. Homo scientiam per sensum acquirit. Sed non omnia sensibilia sensibus corporalibus Christi fuerunt subiecta. Non igitur secundum hanc scientiam omnia cognouit Christus.

Præterea. Quantitas scientiæ attenditur secundum scibilia. Si igitur secundum hanc scientiam Christus omnia scivisset, esset in eo scientia acquisita equalis scientiæ infuse, & scientiæ beatæ: quod est inconueniens. Non ergo secundum hanc scientiam Christus omnia scivit.

Sed contra est quod nihil imperfectum fuit in Christo quantum ad animam. Fuit set autem imperfecta hæc eius scientia, si secundum eam non scivisset omnia: quia imperfectum est cui potest fieri additio. Ergo secundum hanc scientiam Christus omnia scivisset.

Respondendo dicendum, quod scientia acquisita ponitur in anima Christi, ut supra dictum est (quæst. ix. art. 4.) propter conuenientiam intellectus agentis, ne eius actio sit otiosa, quæ facit intelligibilia in actu; sicut & scientia indita, vel infusa ponitur in anima Christi ad perfectionem intellectus possibilis. Sicut autem intellectus possibilis est quo est omnia fieri, ita intellectus agens est quo est omnia facere, ut dicitur in III. de Anima (text. 18.) Et ideo sicut per essentiam inditam scivisset anima Christi omnia illa ad quæ intellectus possibilis est quocumque modo in potentia; ita per scientiam acquisitam scivisset omnia illa quæ possunt fieri per actionem intellectus agentis.

Ad primum ergo dicendum, quod scientia rerum acquiri potest non solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experientiam quarundam aliarum rerum; cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, & causas per effectus, & similia per similia, & contraria per contraria. Sic igitur licet Christus non fuerit omnia expertus; ex his tamen quæ expertus est, in omnium devenit notitiam.

Ad secundum dicendum, quod licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subiecta omnia sensibilia; fuerunt tamen sensibus eius subiecta aliqua sensibilia, ex quibus prop-

ter excellentissimam vim rationis ejus potuit in aliorum notitiam devenire per modum prædictum (in sol. præc.) sicut videndo corpora caelestia, potuit comprehendere eorum virtutes, & effectus, quos habent in istis inferioribus, qui ejus sensibus non subfacebant: & eadem ratione ex quibuscumque aliis in aliorum notitiam devenire potuit.

Ad tertium dicendum, quod secundum istam scientiam anima Christi non simpliciter cognovit omnia, sed illa omnia quæ per lumen intellectus agentis homini sunt cognoscibilia. Unde per hanc scientiam non cognovit essentias substantiarum separatarum, nec etiam singularia præterita, præsentia, & futura, quæ tamen cognovit per scientiam inditam, ut supra dictum est (in corp. art. & quæst. præc.)

ARTICULUS II. 79

Utrum Christus in hac scientia profecerit.

Sup. quæst. XII. art. 11. ad 3. & inf. art. 3. ad 3. & quæst. XX. art. 8. & III. dist. XLIII. in exp. lit. fin. & dist. XVI. quæst. 1. art. 3. quæst. 5. & ser. quæst. XX. art. 6. ad 3. & op. 11. cap. CXXVI. & Joan. 1. lect. 10. fin. & Heb. v.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod secundum hanc scientiam Christus non profecerit. Sicut enim secundum scientiam beatitudinis, & secundum scientiam infusam Christus cognovit omnia; ita & secundum hanc scientiam acquisitam, ut ex dictis patet (art. præc.) Sed secundum illas scientias non profecit. Ergo nec secundum istam.

2. Præterea. Proficere est imperfecti: quia perfectum additionem non recipit. Sed in Christo non est ponere scientiam imperfectam. Ergo secundum hanc scientiam Christus non profecit.

3. Præterea. Damascenus dicit (Lib. III. orth. Fid. cap. XXII.) *Qui proficere dicunt Christum sapientiam, & gratiam, ut additamentum sensus suscipientem, non ventrantur unionem que est secundum hypostasim.* Sed impium est illam unionem non venerari. Ergo impium est dicere, quod scientia ejus additamentum accepit.

Sed contra est quod dicitur Luc. 11. 52. *quod Jesus proficiebat sapientia, & grata, & gratia apud Deum, & homines:* & Ambrosius dicit (Lib. de incarn. Dom. cap. VII. ad med.) *quod proficiebat secundum sapientiam humanam.* Humana autem sapientia est quæ humano modo acquiritur, scilicet per lumen intellectus agentis. Ergo Christus secundum hanc scientiam profecit.

Respondendo dicendum, quod duplex est

profectus scientiæ: unus quidem secundum essentiam, prout scilicet ipse habitus scientiæ augetur; alius autem secundum effectum; puta si aliquis secundum eundem, & æqualem scientiæ habitum primo minora aliis demonstrat, & postea majora, & subtiliora.

Hoc autem secundo modo manifestum est quod Christus in scientia, & gratia profecit, sicut & in ætate, quia scilicet secundum augmentum ætatis opera majora faciebat, quæ scilicet majorem scientiam, & gratiam demonstrabant.

Sed quantum ad ipsum habitum scientiæ, manifestum est quod habitus scientiæ infusæ in eo non est augmentatus; cum à principio plenarie fuerit sibi omnium scientia infusa; & multo minus scientia beata in eo augeri potuit: de scientia enim divina, quod non possit augeri, supra in prima parte dictum est (quæst. XIV. art. 15.) Si igitur præter habitum scientiæ infusam, non sit in anima Christi aliquis habitus scientiæ acquisitæ, ut quibusdam videtur, & mihi aliquando visum est (III. dist. XIV. quæst. 1. art. 3. quæst. 5.) nulla scientia in Christo augmentata fuit secundum essentiam, sed solum per experientiam, id est conversionem specierum intelligibilium inditatum ad phantasmatum. Et secundum hoc dicunt, quod scientia Christi profecit secundum experientiam, convertendo scilicet species intelligibiles inditas ad ea quæ de novo per sensum accepit. Sed quia inconveniens videtur quod aliqua naturalis actio intelligibilis Christo deesset, cum extrahere species intelligibiles à phantasmatibus sit quedam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem, conveniens videtur hanc etiam actionem in Christo ponere. Et ex hoc sequitur quod in anima Christi aliquis habitus scientiæ fuerit, quæ per hujusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari; ex hoc scilicet quod intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas à phantasmatibus poterat etiam alias & alias abstrahere.

Ad primum ergo dicendum, quod tanta scientia infusa animæ Christi, quam scientia beata fuit effectus agentis infinite virtutis, qui potest simul totum operari: & ita in neutra scientia Christus profecit, sed à principio eam perfectam habuit. Sed scientia acquisita caulatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successive: & ideo secundum hanc scientiam Christus non à principio scivit omnia, sed paulatim, & post aliquod tempus, scilicet imperfecta ætate: quod patet ex hoc quod Evangelista simul dicit eum profecisse scientia, & ætate.

Ad secundum dicendum, quod hæc etiam scientia in Christo semper fuit perfecta secundum

cundum tempus; licet non semper fuerit perfecta simpliciter, & secundum naturam: & ideo potuit habere augmentum.

Ad tertium dicendum, quod verbum Damasceni intelligitur quantum ad illos qui dicunt simpliciter fuisse factam additionem scientiæ Christi, scilicet secundum quamcumque ejus scientiam, & præcipue secundum infusam, quæ caulatur in anima Christi ex unione ad Verbum; non autem intelligitur de augmento scientiæ quæ ex naturali agente caulatur.

ARTICULUS III. 80

Utrum Christus aliquid ab homine didicerit.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Christus aliquid ab hominibus didicerit. Dicitur enim Luc. 11. quod invenerunt eum in templo in medio doctorum interrogantem illos, & respondentem. Interrogare vero, & respondere est addiscere. Ergo Christus aliquid didicit ab hominibus.

1. Præterea. Acquirere scientiam ab homine docente videtur esse nobilitas quam acquirere à rebus sensibilibus: quia in anima hominis docentis sunt species intelligibiles in actu; in rebus autem sensibilibus sunt species intelligibiles solum in potentia. Sed Christus accipiebat scientiam experimentalem ex rebus sensibilibus, ut dictum est (art. præc.) Ergo multo magis poterat accipere scientiam, addiscendo ab hominibus.

2. Præterea. Christus secundum scientiam experimentalem non omnia à principio scivit, sed in ea profecit; ut dictum est art. præc.) Sed quilibet audiens sermonem significantium alicujus, potest addicere quod nescit. Ergo Christus potuit ab hominibus aliqua addicere quæ secundum hanc scientiam nesciebat.

Sed contra est quod dicitur Isa. LV. 4. *Eccce respem populi dedi eum; ducem, ac præceptorem gentibus.* Præceptoris autem non est doceri, sed docere. Ergo Christus non accepit aliquam scientiam per doctrinam alicujus hominis.

Respondendo dicendum, quod in quolibet genere id quod est primum movens, non movetur secundum illam speciem motus; sicut primum alterans non alteratur. Christus autem constitutus est à Deo caput Ecclesiæ, quinimo omnium hominum, ut supra dictum est (quæst. VIII. art. 3.) ut non solum omnes per ipsum gratiam acciperent, sed etiam ut omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent. Unde ipse dicit Joan. XVIII. 37. *In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium præberem veritati.* Ex ideo non fuit conveniens ejus dignitati ut à quocumque homine doceretur.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Origenes dicit super Luc. (hom. XVIII. & hom. XIX. ad fin.) *Domini interrogatus, non ut aliquid addiceret, sed ut interrogans erraret. Ex uno quippe doctrine fonte manat, & interrogare, & respondere sapienter. Unde & ibidem in Evangelio sequitur, quod respondit, omnes qui cum addiscunt, super præsentia, & responsi ejus.*

Ad secundum dicendum quod, ille qui addiscit ab homine, non accipit immediate scientiam à speciebus intelligibilibus, quæ sunt in mente ipsius, sed mediantibus vocibus sensibilibus, tanquam signis intelligibilium conceptionum. Sicut autem voces ab homine formate sunt signa intellectualis scientiæ ipsius; ita creatura à Deo condita sunt signa sapientiæ ejus. Unde dicitur Eccl. 1. 10. *quod Deus effudit sapientiam super omnia opera sua.* Sicut igitur dignus est doceri à Deo quam ab homine; ita dignus est accipere scientiam per sensibiles creaturas, quam per hominis doctrinam.

Ad tertium dicendum, quod Jesus proficiebat in scientia experimentalis, sicut & in ætate, ut dictum est (art. præc.) Sicut autem ætas oportuna requiritur, ad hoc quod homo accipiat scientiam per inventionem; ita etiam ad hoc quod accipiat scientiam per disciplinam. Dominus autem nihil fecit quod non congrueret ejus ætati: & ideo audiendæ doctrinæ sermonibus non accomodavit auditum, nisi illo tempore quo poterat etiam per viam experientiæ talem scientiæ gradum attingere. Unde Gregorius dicit super Ezech. (hom. 11. parum à princ.) *Duodecimo anno ætatis sue interrogare dignatus est homines in terra; quia juxta rationis usum, doctrinæ sermo non suppetit nisi in ætate perfecta.*

ARTICULUS IV. 81

Utrum Christus aliquid accepit ab Angelis.

Inf. quæst. XXX. art. 2. ad 1. & III. dist. XLIII. quæst. 11. art. 2. quæst. 1. & dist. XIV. art. 3. quæst. 6.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod Christus ab Angelis scientiam accepit. Dicitur enim Luc. XXII. 43. *quod apparuit Christo Angelus de celo confortans eum.* Sed confortatio fit per verba confortatoria docentis, secundum, illud Job. 11. 3. *Eccce docisti plurimos, & manus lassas roborasti; vacillantes confirmaverunt sermones tui.* Ergo Christus ab Angelis edoctus est.

2. Præterea. Dionysius dicit IV. cap. cal. Hierach. (vers. fin.) *Vide enim quod & ipse Jesus supercaelestium substantiarum supersubstantiali sub-*

tantia, ad nostram intransmutabiliter veniens, obediens subicitur Patri, & Dei per Angelos formativibus. Videtur igitur quod ipse Christus ordinationis legis divine subici voluerit, per quam homines mediantibus Angelis erudiuntur.

3. Præterea. Sicut corpus humanum naturali ordine subicitur corporibus celestibus; ita etiam humana mens angelicis mentibus. Sed corpus Christi subiectum fuit impressionibus celestium corporum, passus est enim calorem in ætate, & in hieme frigus, sicut & alias humanas passiones. Ergo etiam ejus mens humana subiebat illuminationibus supercelestium spirituum.

Sed contra est quod Dionysius dicit vi. 12 cap. cæl. Hier. (à med.) quod supremi Angeli ad ipsum Jesum questionem faciunt, divinique illius operis, & pro nobis assumpti carnis scientiam discunt, & eis ipse Jesus sine medio docet. Non est autem ejusdem docere, & doceri. Ergo Christus non accepit scientiam ab Angelis.

Respondendo dicendum, quod sicut anima humana media est inter spirituales substantias, & res corporales; ita duobus modis nata est perfecti: uno quidem modo per scientiam acceptam ex rebus sensibilibus; alio modo per scientiam inditam, sive impressam ex illuminatione spiritualium substantiarum.

Utroque autem modo anima Christi fuit perfecta: ex sensibilibus quidem secundum scientiam experimentalem; ad quam quidem non requiritur lumen angelicum, sed sufficit lumen intellectus agentis: ex impressione vero superiori secundum scientiam insusam, quam est immediate adeptus à Deo. Sicut enim supra communem modum creaturæ anima illa unita est Verbo in unitate personæ; ita supra communem modum hominum immediate ab ipso Dei Verbo repleta est scientia, & gratia; non autem mediantibus Angelis, qui etiam ex influenza Verbi rerum scientiam in sui principio acceperunt, sicut in II. super Gen. ad lit. (cap. vii. 11.) Augustinus dicit.

Ad primum ergo dicendum, quod illa confortatio Angelis non fuit per modum instructionis, sed ad demonstrandam proprietatem humanæ naturæ. Unde Beda dicit super Luc. (cap. xci.) In documento utriusque nature & Angelis ei ministrasse, & eum confortasse dicuntur. Creator enim creaturæ suæ non eguit profectio; sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur; ut scilicet in nobis fides incarnationis ipsius confirmetur.

Ad secundum dicendum, quod Dionysius dicit, Christum fuisse formationibus angelicis subiectum, non ratione sui ipsius, sed ratione eorum que circa ejus incarnationem agebantur, & circa ministrationem ejus in infantili ætate constituti. Unde ibidem subdit,

quod per medios Angelos ministratur Joseph à Patre dispensata Jesu ad Egyptum recessio, & rursus ad Judæam de Egypto traditio.

Ad tertium dicendum, quod Filius Dei assumpsit corpus passibile, ut infra dicitur (quæst. xiv. art. 1.) sed animam perfectam scientia, & gratia: & ideo corpus ejus convenienter fuit subiectum impressioni celestium corporum; anima vero ejus non fuit subiecta impressioni celestium spirituum.

QUÆSTIO XIII.

De potentia anime Christi,

in quatuor articulis divisâ.

Deinde considerandum est de potentia anime Christi: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo, utrum habuerit omnipotentiam simpliciter.

Secundo, utrum habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Tertio, utrum habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.

Quarto, utrum habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis.

ARTICULUS I.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.

Inf. 3. art. hujus quæst. & quæst. xxi. art. 1. ad

1. & 1. dist. 111. quæst. 1. art. 2. quæst.

2. & dist. 111. xiv. quæst. 1. art. 4.

AD primum sic proceditur. Videtur quod anima Christi habuerit omnipotentiam. Dicit enim Ambrosius super Luc. (hab. in Gloss. ord. sup. illud Luc. 1. hic erit magnus:) Potentiam quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus. Sed hoc præcipue videtur esse secundum animam, quæ est potior pars hominis. Cum ergo Filius Dei ab æterno omnipotentiam habuerit, videtur quod anima Christi ex tempore omnipotentiam acceperit.

2. Præterea. Sicut potentia Dei est infinita, ita etiam ejus scientia. Sed anima Christi habet omnium scientiam quæ scit Deus, quodammodo, ut supra dictum est (quæst. x. art. 2.) Ergo etiam habet omnium potentiam; & ita est omnipotens.

3. Præterea. Anima Christi habet omnem scientiam. Sed scientiarum quædam est practica, quædam speculativa. Ergo habet eorum quæ scit scientiam practicam, ut scilicet sciat facere ea quæ scit: & sic videtur quod omnia facere possit.

Sed

Sed contra. Illud quod est proprium Dei, non potest alicui creaturæ convenire. Sed proprium est Dei esse omnipotentem, secundum illud Exodi xvi. 2. *iste Deus meus, & glorificabo eum*: & postea subditur: *Omnipotens nomen ejus*. Ergo anima Christi, cum sit creatura, non habet omnipotentiam.

Respondendo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. 11. art. 1. & 1.) in mysterio incarnationis ita facta est unio in persona, quod tamen remanet distinctio naturarum, utraque scilicet natura retinente id quod sibi est proprium. Potentia autem activa cujuslibet rei sequitur formam ipsius, quæ est principium agendi. Forma autem vel est ipsa natura rei, sicut in simplicibus; vel est constituens ipsam rei naturam, in his scilicet que sunt composita ex materia, & forma. Unde manifestum est quod potentia activa cujuslibet rei consequitur naturam ipsius. Et per hunc modum omnipotentia consequenter se habet ad divinam naturam. Quia enim natura divina est ipsum esse Dei incircumscripsum, ut patet per Dionysium v. cap. de div. Nom. (sect. 1. circ. med.) inde est quod habet potentiam activam respectu omnium quæ possunt habere rationem entis; quod est habere omnipotentiam; sicut & quilibet alia res habet potentiam activam respectu eorum ad quæ se extendit perfectio suæ naturæ, sicut calidum ad calefaciendum. Cum igitur anima Christi sit pars humanæ naturæ, impossibile est quod omnipotentiam habeat.

Ad primum ergo dicendum, quod homo accepit ex tempore omnipotentiam, quam Filius Dei habuit ab æterno, per ipsam unionem personæ: ex qua factum est ut sicut homo dicitur Deus, ita dicatur omnipotens; non quasi sit alia omnipotentia hominis quam Filii Dei, sicut nec alia Deitas; sed eo quod est una persona Dei, & hominis.

Ad secundum dicendum, quod alia ratio est de scientia, & de potentia activa, sicut quidam dicunt. Nam potentia activa consequitur ipsam naturam rei, eo quod actio consideratur ut egrediens ab agente; scientia autem non semper habetur per ipsam essentiam vel formam scientis, sed potest haberi per assimilationem scientis ad res scitæ secundum similitudines susceptas. Sed hæc ratio non videtur sufficere: quia sicut aliquis potest cognoscere per similitudinem susceptam ab alio; ita etiam potest agere per formam ab alio susceptam, sicut aqua, vel ferrum calefacit per calorem susceptum ab igne. Non ergo per hoc prohibetur quin scientia anime Christi per similitudines omnium rerum sibi à Deo inditas potest omnia cognoscere, ita per easdem similitudines possit ea facere. Est igitur ulterius considerandum, quod id quod

à superiori natura in inferiori recipitur, habetur per inferiorem modum: non enim calor in eadem perfectione, & virtute recipitur ab aqua, qua est in igne. Quia igitur anima Christi inferioris naturæ est quam natura divina, similitudines rerum non recipiuntur in ipsa anima Christi secundum eandem perfectionem, & virtutem, secundum quam sunt in natura divina. Et inde est quod scientia anime Christi est inferior scientia divina quantum ad modum cognoscendi; quia Deus perfectius cognoscit res quam anima Christi; & quantum etiam ad numerum scitorum, quia anima Christi non cognoscit omnia quæ Deus potest facere, quæ tamen Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ; licet cognoscat omnia præsentia, præterita, & futura, quæ Deus cognoscit scientia visionis. Et similiter similitudines rerum anime Christi inditæ non adequant virtutem divinam in agendo, ut scilicet possint omnia agere quæ Deus potest, vel etiam eo modo agere sicut Deus agit, qui agit infinita virtute, cuius creatura non est capax. Nulla autem res est ad cujus cognitionem aliquo modo habendam requiratur virtus infinita, licet aliquis modus cognoscendi sit virtutis infinitæ; quædam tamen sunt quæ non possunt fieri nisi à virtute infinita, sicut creatio, & alia hujusmodi, ut patet ex his que in prima parte dicta sunt (quæst. xlv.) Et ideo anima Christi, quæ cum sit creatura, est virtutis finitæ, potest quidem omnia cognoscere, sed non per omnem modum; non autem potest omnia facere, quod pertinet ad rationem omnipotentis: & inter cetera manifestum est quod non potest creare seipsum.

Ad tertium dicendum, quod anima Christi habuit & scientiam practicam, & speculativam; non tamen oportet, quod omnium illorum habeat scientiam practicam, quorum habuit scientiam speculativam. Ad scientiam enim speculativam habendam sufficit sola conformitas, vel assimilatio scientis ad rem scitam; ad scientiam autem practicam requiritur, quod formæ rerum, quæ sunt in intellectu, sint factivæ. Plus autem est habere formam, & imprimere formam habitam in alterum, quam solum habere formam; sicut plus est lucere, & illuminare, quam solum lucere. Et inde est quod anima Christi habet quidem speculativam scientiam creandi (scilicet enim qualiter Deus creavit) sed non habet hujus rei scientiam practicam, quia non habet scientiam creationis factivam.

AR.

ARTICULUS II.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

III. dist. xiv. quest. 1. art. 4.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Dicit enim ipse Matth. ult. 18. Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra. Sed nomine caeli, & terrae intelligitur omnis creatura, ut patet cum dicitur Genes. 1. 1. In principio creavit Deus celum, & terram. Ergo videtur quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

2. Præterea. Anima Christi est perfectior qualibet creatura. Sed quælibet creatura potest moveri ab aliqua creatura: dicit enim Augustinus in III. de Trinit. (cap. 1v. à princ.) quod sicut corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vitæ, & spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, & spiritus vitæ rationalis deservit, atque peccator per spiritum vitæ rationalem, & pius, & iustus. Anima autem Christi etiam ipsos supremos spiritus movet, illuminando eos, ut dicit Dionysius vi. 1. cap. cæl. Hæc (post med.) Ergo videtur quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

3. Præterea. Anima Christi habuit plenissimam gratiam miraculorum, seu virtutum sicut, & ceteras gratias. Sed omnis immutatio creaturæ potest ad gratiam miraculorum pertinere; cum etiam miraculose cælestia corpora à suo ordine immutata fuerint, sicut Dionysius probat in epist. ad Polycarpum (quest. vii. parum à princ.) Ergo anima Christi habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Sed contra est quod eisdem est transmutare creaturas cuius est eas conservare. Sed hoc est solius Dei, secundum illud Heb. 1. 3. Portans omnia verbo virtutis sue. Ergo solius Dei est habere omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Non ergo hoc convenit animæ Christi.

Respondens dicitur, quod hic duplici distinctione est opus. Quarum prima est ex parte transmutationis creaturarum, quæ triplex est: una quidem est naturalis, quæ scilicet fit à proprio agente secundum ordinem naturæ; alia vero est miraculosa, quæ fit ab agente supernaturali supra consuetum ordinem, & cursum naturæ, sicut resuscitatio mortuorum; tertia autem est, secundum quod omnis creatura veribilis est in nihil.

Secunda autem distinctio est accipienda ex

parte animæ Christi: quæ dupliciter considerari potest: uno modo secundum propriam naturam, & virtutem five naturalem five gratuitam; alio modo, prout est instrumentum Verbi Dei sibi personaliter uniti.

Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam, & virtutem five naturalem, five gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos qui sunt anime convenientes; puta ad gubernandum corpus, & ad disponendos humanos actus, & etiam ad illuminandum per gratiæ, & scientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes, per modum quo hoc est conveniens creaturæ rationali. Si autem loquamur de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculose faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem, qui est instaurare omnia, five quæ in caelis, five quæ in terris sunt. Immutationes vero creaturarum secundum quod sunt veribiles in nihil, correspondent creationi rerum, prout scilicet creantur ex nihilo. Et ideo sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere; qui etiam solus eas in esse conservat, ne in nihilum decedant.

Sic ergo dicitur est, quod anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Hieronymus dicit (sup. loc. Mat. cit. in arg.) illi potestas data est qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit, id est Christo, secundum quod homo. Dicitur autem sibi omnis potestas data ratione unionis, per quam factum est ut homo esset omnipotens, ut supra dictum est (art. præ. ad 1.) Et quavis hoc ante resurrectionem innotuerit Angelis, post resurrectionem tamen innotuit omnibus hominibus, ut Remigius dicit. (Hab. in Cat. aur. Div. Thomæ.) Tunc autem dicuntur res fieri, quando innescunt. Et ideo post resurrectionem dicit Dominus sibi datam omnem potestatem in celo, & in terra.

Ad secundum dicendum, quod licet omnis creatura sit mutabilis ab alia creatura, præter supremum Angelum, qui tamen potest illuminari ab anima Christi, non tamen immutatio omnis que potest fieri circa creaturam, potest fieri à creatura; sed quædam immutationes possunt fieri à solo Deo. Quæcumque tamen immutationes possunt fieri per creaturas, possunt etiam fieri per animam Christi, secundum quod est instrumentum Verbi, non autem secundum propriam naturam, & virtutem; quia quædam huiusmodi immutationum non pertinent ad animam neque quantum

tum ad ordinem naturæ, neque quantum ad ordinem gratiæ.

Ad tertium dicendum, quod, sicut dictum est in secunda parte (2. 2. quest. clxxviii. art. 1. ad 1.) gratia virtutum, seu miraculorum datur animæ alicuius Sancti, non ut propria virtute ei conveniat miracula facere, sed ut per virtutem divinam huiusmodi miracula fiant. Et hæc quidem gratia excellentissime data est animæ Christi, ut scilicet non solum ipse miracula faceret, sed etiam ut hanc gratiam in alios transfunderet. Unde dicitur Matth. x. 1. quod convocatis duodecim discipulis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

ARTICULUS III.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis. Dicit enim Damascenus in III. Lib. (orth. Fid. cap. xx. in fin. & cap. xxiii.) quod omnia naturalia fuerunt Christo voluntaria: volens enim servavit, volens strinxit, volens tenuit, volens movit, etc. Sed ex hoc Deus dicitur omnipotens, quia omnia quæcumque voluit fecit. Ergo videtur quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu naturalium operationum proprii corporis.

Præterea. In Christo fuit perfectissimum humana natura quam in Adam; in quo secundum originale iustitiam, quam habuit in innocentie statu, corpus (a) habebat omnino subiectum animæ, ut nihil in corpore posset accedere contra animæ voluntatem. Ergo multo magis anima Christi habuit omnipotentiam respectu sui corporis.

Præterea. Ad imaginationem animæ naturaliter corpus immutatur; & tanto magis, quanto magis anima fuerit fortis imaginationis, ut in prima parte habitum est (quest. cxviii. art. 11. ad 3.) Sed anima Christi habuit virtutem perfectissimam & quantum ad imaginationem, & quantum ad alias vires. Ergo anima Christi fuit omnipotens in respectu ad corpus proprium.

Sed contra est quod dicitur Hebr. 11. 17. quod debuit per omnia fratribus assimilari, & præcipue in his quæ pertinent ad conditionem naturæ humanæ. Sed ad conditionem humanæ naturæ pertinet quod valetudo corporis, & eius nutritio, & augmentum impetio rationis, seu voluntatis non subdantur: quia naturalia soli Deo, qui est auctor naturæ,

Non. Th. Op. Tom. V. ubi dicitur quod anima Christi non habuit potestatem ad corpus proprium, nisi in quantum ad operationem.

(a) Numquid erat? aut qui loco in quo?

subduntur. Ergo nec in Christo subdebantur. Non igitur anima Christi fuit omnipotens respectu proprii corporis.

Respondens dicitur, quod, sicut dictum est (art. præc.) anima Christi potest dupliciter considerari. Uno modo secundum propriam naturam, & virtutem; & hoc modo sicut non poterat immutare exteriora corpora à cursu, & ordine naturæ; ita etiam non poterat immutare proprium corpus à naturali dispositione: quia anima Christi secundum propriam naturam habet determinatam proportionem ad suum corpus. Alio modo potest considerari anima Christi, secundum quod est instrumentum unitum Verbo Dei in persona; & sic subdebatur eius potestati totaliter omnis dispositio proprii corporis. Quia tamen virtus actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti, talis omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei quam animæ Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Damasceni est intelligendum quantum ad voluntatem Christi divinam: quia, sicut ipse in precedentibus dicit (cap. xvi. & cap. xv. à med.) beneplacito divine voluntatis permittitur carni pati, & operari que propria.

Ad secundum dicendum, quod non pertinebat hoc ad originale iustitiam, quam Adam habuit in statu innocentie; quod anima hominis habet virtutem transmutandi proprium corpus in quantumque formam, sed quod posset ipsum conservare absque omni nocimento. Et hæc etiam virtutem Christus assumere potuisset, si voluisset. Sed cum sint tres status hominum, scilicet innocentie, culpæ, & gloriæ, sicut de statu gloriæ assumptis comprehensionem, & de statu innocentie immunitatem à peccato; ita & de statu culpæ assumptis necessitatem subiacendi poenitentibus huius vitæ, ut infra dicitur (quest. xlv. art. 2.)

Ad tertium dicendum, quod imaginatio, si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua; puta quantum ad curam de trabe in alto posita: quia imaginatio nata est esse principium motus localis, ut dicitur III. de Anima (text. xlvi. 11. & seq.) Similiter etiam quantum ad alterationem quæ est secundum calorem, & frigus; & alia consequentia: eo quod ex imaginatione consequenter natæ sunt consequi animæ passionis, secundum quas movetur cor; & sic per compositionem spirituum totum corpus alteratur. Aliæ vero dispositiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcumque sit fortis; puta figura manus, vel pedis, vel aliquid simile.

Non. Th. Op. Tom. V. ubi dicitur quod anima Christi non habuit potestatem ad corpus proprium, nisi in quantum ad operationem.

(a) Numquid erat? aut qui loco in quo?

ARTICULUS II. 73

Utrum Christus hoc scientia uti potuerit, non convertendo se ad phantasmata.

Inf. art. 4. & quest. xxxiv. art. 2. ad 3. & Ill. dist. xiv. quest. 1. art. 3. quest. 2. & 3. c. & ver. quest. xx. art. 3. ad 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod anima Christi non potuerit intelligere secundum hanc scientiam, nisi convertendo se ad phantasmata. Quia, ut dicitur III. de Anima (simpliciter. text. 18. 31. & 39.) phantasmata comparantur ad animam intellectivam humanam, sicut colores ad visum. Sed potentia visiva Christi non potuit exire in actum nisi convertendo se ad colores. Ergo etiam neque anima intellectiva eius potuit aliquid intelligere nisi convertendo se ad phantasmata.

2. Præterea. Anima Christi est ejusdem naturæ cum animabus nostris: alioquin ipse non esset ejusdem speciei nobiscum, contra id quod Apostolus dicit Philipp. 11. 7. quod est in similitudinem hominum factus. Sed anima nostra non potest intelligere nisi convertendo se ad phantasmata. Ergo etiam neque anima Christi.

3. Præterea. Sensus dati sunt homini ut deserviant intellectui. Si igitur anima Christi intelligere potuit absque conversione ad phantasmata, quæ per sensus accipiuntur, sequeretur quod sensus frustra fuissent in anima Christi: quod est inconveniens. Videtur igitur quod anima Christi non potuerit intelligere nisi convertendo se ad phantasmata.

Sed contra est quod anima Christi cognovit quadam quæ per phantasmata cognosci non possunt, scilicet substantias separatas. Potuit igitur intelligere, non convertendo se ad phantasmata.

Respondeo dicendum, quod Christus in statu ante passionem fuit simul viator, & comprehensor, ut infra magis patebit (quæst. xv. art. 10.) & præcipue quidem conditiones viatoris habuit ex parte corporis, in quantum fuit passibilis; conditiones vero comprehensoris maxime habuit ex parte animæ intellectivæ. Est autem hæc conditio animæ comprehensoris ut nullo modo subdati suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur. Unde & post resurrectionem ex anima gloriæ redundabit ad corpus. Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantasmata converteri, quod est corpori obligata, & quodammodo ei subiecta, & ab eo dependens. Et ideo anima beata & ante resurrectionem, & post intelligere possunt absque conversione ad phantasmata. Et hoc etiam oportet dicere de

anima Christi, quæ plene habuit facultatem comprehensoris.

Ad primum ergo dicendum, quod similitudo illa quam Philosophus ponit, non attenditur quantum ad omnia. Manifestum est enim quod finis potentie visivæ est cognoscere colores; finis autem potentie intellectivæ non est cognoscere phantasmata, sed cognoscere species intelligibiles, quas apprehendit ad phantasmata, & in phantasmatis secundum statum præsentis vitæ. Est igitur similitudo quantum ad hoc ad quod aspicit utraque potentia, non autem quantum ad hoc in quod utriusque potentie conditio terminatur. Nihil autem prohibet, secundum diversos status ex diversis rem aliquam ad suum finem tendere. Finis tamen proprius alicujus rei semper est unus. Et ideo licet visus nihil cognoscat absque colore; intellectus tamen secundum aliquem statum potest cognoscere absque phantasmate, sed non absque specie intelligibili.

Ad secundum dicendum, quod licet anima Christi fuerit ejusdem naturæ cum animabus nostris; habuit tamen aliquem statum quem animæ nostræ non habent nunc in re, sed solum in spe, scilicet statum comprehensoris.

Ad tertium dicendum, quod licet anima Christi potuerit intelligere non convertendo se ad phantasmata; poterat tamen intelligere, se ad phantasmata convertendo. Et ideo sensus non fuerunt frustra in ipsa; præsertim cum sensus non dentur homini solum ad scientiam intellectivam, sed etiam ad necessitatem vitæ animalis.

ARTICULUS III. 74

Utrum hæc scientia fuerit collativa.

Ill. dist. xiv. quest. 1. art. 3. quest. 3. & ver. quest. xx. art. 3. ad 1.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod anima Christi hanc scientiam non haberet per modum collationis. Dicit enim Damascenus in III. Lib. (ort. Fid. cap. xiv. ad fin. & Lib. II. cap. xxii. à med.) *In Christo non dicimus consilium, neque electionem.* Non autem remouentur hæc a Christo, nisi in quantum important collationem, & discursum. Ergo videtur quod in Christo non fuerit scientia collativa, vel discursiva.

2. Præterea. Homo indiget collatione, & discursu rationis ad inquirenda ea quæ ignorat. Sed anima Christi cognovit omnia, ut supra dictum est (quæst. præc. art. 2.) Non ergo in ea fuit scientia discursiva, vel collativa.

3. Præterea. Scientia animæ Christi se habuit per modum comprehensorum, qui Angelis conformantur, ut dicitur Matth. xxii. Sed

Sed in Angelis non est scientia discursiva, seu collativa, ut patet per Dionysium vii. cap. de div. Nom. (inter princ. & med. lect. 2.) Ergo nec etiam in anima Christi fuit scientia discursiva, seu collativa.

Sed contra est quod Christus habuit animam rationalem, ut supra habitum est (quæst. v. art. 3.) Propria autem operatio animæ rationalis est conferre, & discurrere de uno in aliud. Ergo in Christo fuit scientia discursiva, vel collativa.

Respondeo dicendum, quod aliqua scientia potest esse discursiva, vel collativa dupliciter. Uno modo quantum ad scientiæ acquisitionem; sicut accidit in nobis, qui procedimus ad cognoscendum unum per aliud, sicut effectus per causas, vel è converso. Et hoc modo scientia animæ Christi non fuit discursiva, vel collativa: quia hæc scientia, de qua nunc loquimur, fuit sibi divinitus indita, non per investigationem rationis acquisita. Alio modo potest dici aliqua scientia discursiva, vel collativa quantum ad usum; sicut interdum scientes ex causis concludunt effectus, non ut de novo addiscant, sed volentes uti scientia quam jam habent. Et hoc modo scientia animæ Christi poterat esse collativa, & discursiva: poterat enim ex uno alio concludere, sicut sibi placebat; sicut Matth. xvi. cum Dominus quaesisset à Petro, à quibus Reges terre tributum acciperent, à filiis suis, an ab alienis; Petro respondente, quod alienis, conclusit: *Ergo liberi sunt filii.*

Ad primum ergo dicendum, quod à Christo excluditur consilium quod est cum dubitatione, & per consequens electio, quæ in sui ratione tale consilium includit; non autem à Christo excluditur usus consiliiandi.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de discursu, & collatione, prout ordinantur ad scientiam acquirendam.

Ad tertium dicendum, quod beati conformantur Angelis quantum ad dona gratiarum; manet tamen differentia quæ est secundum naturam: & ideo uti collatione, & discursu, est connaturale animabus beatorum, non autem Angelis.

ARTICULUS IV. 75

Utrum hæc scientia in Christo fuerit major scientia Angelorum.

Sup. quest. x. art. 4. & inf. art. 6. ad 1. & q. lxx. art. 6. c. & Ill. dist. xiv. quest. 1. art. 1. quest. 2. ad 1. & art. 2. quest. 2. c. & art. 3. quest. 2. c. & ver. quest. xx. art. 3. c. & art. 4. c. & 6. corp. & opus. 11. cap. cccxvi.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod hujusmodi scientia in Christo fuerit minor quam in Angelis. Perfectio enim propor-

tionatur perfectibili. Sed anima humana secundum ordinem nature est infra naturam angelicam. Cum igitur scientia de qua nunc loquimur, sit indita animæ Christi ad perfectionem ipsius, videtur quod hujusmodi scientia fuerit intra scientiam qua perficitur natura angelica.

2. Præterea. Scientia animæ Christi fuit alii quo modo collativa, & discursiva: quod non potest dici de scientia angelica. Ergo scientia animæ Christi fuit inferior scientia Angelorum.

3. Præterea. Quanto aliqua scientia est magis immaterialis, tanto est potior. Sed scientia Angelorum est immaterialior quam scientia animæ Christi: quia anima Christi est ætus corporis, & habet conversionem ad phantasmata; quod de Angelis dici non potest. Ergo scientia Angelorum est potior quam scientia Christi.

Sed contra est quod Apostolus dicit Hebr. 11. 9. *Eum autem qui medico quam Anzeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum*: ex quo apparet quod propter solam passionem mortis dicatur Christus ab Angelis minoratus. Non ergo propter scientiam.

Respondeo dicendum, quod scientia indita animæ Christi potest dupliciter considerari: uno modo secundum illud quod habuit à causa influente; alio modo secundum illud quod habuit ex subiecto recipiente. Quantum igitur ad primum, scientia indita animæ Christi fuit multo excellentior quam Angelorum scientia & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad scientiæ certitudinem: quia lumen spiritualis gratiæ, quod est inditum animæ Christi, est multo excellentius quam lumen quod pertinet ad naturam angelicam. Quantum autem ad secundum, scientia indita animæ Christi est infra scientiam angelicam, scilicet quantum ad modum cognoscendi, qui est naturalis animæ humanæ; qui scilicet est per conversionem ad phantasmata, & per collationem, & discursum. Et per hoc patet responsio ad objecta.

ARTICULUS V. 76

Utrum hæc scientia fuerit habitualis.

Ill. dist. xiv. quest. 1. art. 1. quest. 2. & 3. & ver. quest. xx. art. 2.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit habitualis scientia. Dicitur enim (quæst. 1x. art. 1.) quod animam Christi decuit maxima perfectio scientiæ. Sed major est perfectio scientiæ existentis in actu quam existentis in potentia, vel habitu. Ergo conveniens fuisse videtur quod omnia scierit

secundum illud Isa. LIII. 5. *Ipsè vulneratus est propter iniquitates nostras, atrox est propter scelera nostra.*

Ad quartum dicendum, quod infirmitas assumpta à Christo non impedit finem incarnationis, sed maxime promovit, ut dictum est (in corp. art.) Et quoniam per huiusmodi infirmitates absconderetur ejus Divinitas; manifestabatur tamen humanitas, quæ est via ad Divinitatem perveniendi, secundum illud Roman. v. 2. *Accessum habemus per Jesum Christum ad Deum.* Desiderabant autem antiqui patres in Christo non quidem fortitudinem corporalem, sed spirituales, per quam & diabolum vicit, & humanam infirmitatem sanavit.

ARTICULUS II. 87

Utrum Christus necessitatem his defectibus subjacendi assumpsit.

Inf. quest. xv. art. 5. & ad 1. & III. dist. xv. quest. 1. art. 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non ex necessitate his defectibus subjacuerit. Dicitur enim Isa. LIII. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit;* & loquitur de oblatione ad passionem. Sed voluntas opponitur necessitati. Ergo Christus non ex necessitate subjacuit corporalibus defectibus.

2. Præterea, Damascenus dicit in III. Lib. (orth. Fid. cap. xx. in fin.) *Nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria.* Sed quod est voluntarium, non est necessarium. Ergo huiusmodi defectus non fuerunt ex necessitate in Christo.

3. Præterea, Necessitas inferitur ab aliquo potentiori. Sed nulla creatura est potentior quam anima Christi, ad quam pertinebat proprium corpus conservare. Ergo huiusmodi defectus, seu infirmitates non fuerunt in Christo ex necessitate.

Sed contra est quod Apostolus dicit Rom. VIII. 3. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Sed conditio carnis peccati est quod habeat necessitatem moriendi, & sustinendi alias huiusmodi passiones. Ergo talis necessitas sustinendi hos defectus fuit in carne Christi.

Respondeo dicendum, quod duplex est necessitas. Una quidem coactionis, quæ fit ab agente extrinseco: & hæc quidem necessitas contrariatur & naturæ, & voluntati; quorum utrumque est principium intrinsecum. Alia autem est necessitas naturalis, quæ consequitur principia naturalia; puta formam, sicut necessarium est ignem calefacere; vel materiam, sicut necessarium est corpus ex contrariis compositum dissolvi.

Secundum igitur hanc necessitatem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati mortis, & aliorum huiusmodi defectuum: quia, sicut dictum est (art. præc. ad 2.) *beneficio dicitur voluntatis carni Christi permittebatur agere, & pati quæ propria.* Hæc autem necessitas causatur ex principis carnis humane, ut dictum est (hic supra). Si autem loquamur de necessitate coactionis, secundum quidem quod repugnat naturæ corporali, sic iterum corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ necessitati subjacuit & clavi perforantis, & flagelli percutientis. Secundum vero quod necessitas talis repugnat voluntati, manifestum est quod in Christo non fuit necessitas horum defectuum neque per respectum ad divinam voluntatem, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, prout sequitur rationem deliberantem; sed solum secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocentiam.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur oblati, quia voluit & voluntate divina, & voluntate humana deliberata; sicut mors esset contra naturalem motum voluntatis humane, ut Damascenus dicit (Lib. III. orth. Fid. cap. XXI. & cap. XXV. in fin.).

Ad secundum patet responso ex dictis (in corp.).

Ad tertium dicendum, quod nihil fuit potentius quam anima Christi absolute; nihil tamen prohibet aliquid fuisse potentius quantum ad hunc effectum, sicut clavus ad perforandum. Et hoc dico, secundum quod anima Christi consideratur secundum propriam naturam, & virtutem.

ARTICULUS III. 88

Utrum Christus defectus corporales contraxerit.

III. dist. xv. quest. 1. art. 3. & dist. XXI. quest. 11. art. 2. corp. & apuse. 11. cap. CCXXVI.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Christus defectus corporales contraxerit. Illud enim contrahere dicimus quod simul cum natura ex origine trahimus. Sed Christus simul cum natura humana defectus, & infirmitates corporales per suam originem traxit à matre, cujus caro huiusmodi defectibus subjacebat. Ergo videtur quod defectus contraxerit.

2. Præterea, Id quod ex principis naturæ causatur, simul cum natura trahitur; & ita contrahitur. Sed huiusmodi penalitates causantur ex principis naturæ humanæ. Ergo eas Christus contraxerit.

Req.

3. Præterea, Secundum huiusmodi defectus Christus aliis hominibus similatur, ut dicitur Hebr. II. Sed alii homines huiusmodi defectus contrahunt. Ergo videtur quod etiam Christus huiusmodi defectus contraxerit.

Sed contra est quod huiusmodi defectus contrahuntur ex peccato, secundum illud Roman. v. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors.* Sed in Christo non habuit locum peccatum. Ergo huiusmodi defectus Christus non contraxit.

Respondeo dicendum, quod in verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam, ut scilicet illud dicatur contrahi quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis, & horum defectuum in humana natura est peccatum: quia *per peccatum mors intravit in hunc mundum;* ut dicitur Rom. v. 12. Et ideo illi proprie dicuntur hos defectus contrahere qui ex debito peccati hos defectus incurunt. Christus autem hos defectus non habuit ex debito peccati: quia, ut Augustinus dicit exponens illud Joan. I. *Qui de sursum venit, super omnes est;* (hab. in Glossa ord.), de sursum venit Christus, id est de altitudine naturæ humane, quam habuit ante peccatum primi hominis. Accepit enim naturam humanam absque peccato in illa puritate in qua erat in statu innocentie; & simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus. Sic igitur patet quod Christus non contraxit hos defectus, quasi ex debito peccati eos suscipiens, sed ex propria voluntate.

Ad primum ergo dicendum, quod caro Virginis concepta fuit in originali peccato: & ideo hos defectus contraxit. (a) Sed caro Christi ex Virgine assumpsit naturam absque culpa: & similiter potuisset naturam assumere absque peccato. Sed voluit suscipere peccatum propter opus nostræ redemptionis implendum, ut dictum est (art. 1. huj. quæst.) Et ideo habuit huiusmodi defectus, non contrahendo, sed voluntarie assumendo.

Ad secundum dicendum, quod causa mortis, & aliorum corporalium defectuum in humana natura est duplex. Una quidem remota quæ accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, in quantum est ex contrariis compositum. Sed hæc causa impediatur per originalem iustitiam. Et ideo proxima causa mortis, & aliorum defectuum est peccatum, per quod subtrahitur est originalis iustitia. Et propter hoc quia Christus fuit sine peccato, dicitur non contraxisse huiusmodi defectus, sed voluntarie assumpsisse.

Ad tertium dicendum, quod Christus in huiusmodi defectibus assimilatus est aliis hominibus.

(a) Ita miss. & edit. passim. Edit. Rom. Sed Christus naturam ex Virgine assumpsit absque culpa,

nibus quantum ad qualitatem defectuum, non autem quantum ad causam: & ideo Christus non contraxit huiusmodi defectus, sicut alii.

ARTICULUS IV. 89

Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.

Sup. quest. XII. art. 4. ad 3. & inf. quest. xv. art. 1. corp. & quest. XLVI. art. 5. ad 1. & III. dist. xv. quest. 1. art. 2. & dist. XXI. quest. 11. art. 1. quest. 1. corp. & IV. cont. cap. LV. num. XI. & apuse. 11. cap. CCXXVI. & CCXXXVII.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit. Dicit enim Damascenus (Lib. III. orth. Fid. cap. vi. circ. med. & cap. XVII. parum à princ.) *Quod est inassumptibile, est incurabile.* Sed Christus venerat omnes defectus nostros curare. Ergo omnes defectus nostros assumere debuit.

2. Præterea, Dicitur est (art. 1. huj. quæst.) quod ad hoc quod Christus pro nobis satisfecerit, debuit habere habitus perfectivos in anima, & defectus in corpore. Sed Christus ex parte anime assumpsit plenitudinem omnis gratiæ. Ergo ex parte corporis debuit assumere omnes defectus.

3. Præterea, Inter omnes defectus corporales præcipuum locum tener mors. Sed Christus mortem assumpsit. Ergo multo magis omnes alios defectus assumere debuit.

Sed contra est quod contraria non possunt simul fieri in eodem. Sed quedam infirmitates sunt sibiipsis contrariæ utpote ex contrariis principis causata. Ergo non potuit esse quod Christus omnes infirmitates humanas assumeret.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. 1. & 2. huj. quæst.) Christus defectus humanos assumpsit ad satisfaciendum pro peccato humane naturæ, ad quod requirebatur quod haberet perfectionem scientiæ, & gratiæ in anima. Illos ergo defectus Christus assumere debuit qui consequuntur ex peccato communi totius naturæ; nec tamen repugnant perfectioni scientiæ, & gratiæ. Sic igitur non fuit conveniens ut omnes defectus, seu infirmitates humanas assumeret. Sunt enim quidam defectus qui repugnant perfectioni scientiæ, & gratiæ, sicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Quidam autem defectus sunt qui non consequuntur communiter totam humanam naturam propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus quibusdam.

quibus hominibus ex quibusdam particularibus causis, sicut lepra, & morbus caducus, & alia huiusmodi: qui quidem defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu; quandoque autem ex defectu virtutis formativæ: quorum neutrum convenit Christo, quia & caro ejus de Spiritu Sancto concepta est, qui est infinitæ sapientiæ, & virtutis, errare, & deficere non potens; & ipse nihil inordinatum in regimine suæ vitæ exercuit. Sunt autem tertii defectus qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur ex peccato primi parentis, sicut mors, fames, sitis, & alia huiusmodi: & hos defectus omnes Christus suscepit, quos vocat Damascenus (Lib. I. orth. Fid. cap. xiv. in fin. & Lib. III. cap. xx.) *naturales, & inter-affibiles passionibus*: naturales quidem, quia consequuntur communiter totam naturam humanam; inderogabiles autem, quia defectum scientiæ, & gratiæ non important.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes particulares defectus hominum causantur ex corruptibilitate, & passibilitate corporis, superadditis quibusdam particularibus causis: & ideo cum Christum curaverit passibilitatem, & corruptibilitatem corporis nostri, per hoc quod eam assumpsit, ex consequenti omnes alios defectus curavit.

Ad secundum dicendum, quod plenitudo omnis gratiæ, & scientiæ animæ Christi secundum se debeatur ex hoc ipso quod erat à verbo Dei assumpta: & ideo absolute omnem plenitudinem sapientiæ, & gratiæ Christus assumpsit. Sed defectus nostros dispensative assumpsit, ut pro peccato nostro satisfaceret, non quia ei secundum se competere: & ideo non oportuit quod omnes assumeret, sed solum illos qui sufficiebant ad satisfaciendum pro peccato totius humanæ naturæ.

Ad tertium dicendum, quod mors in omnes homines advenit ex peccato primi parentis; non autem quidam alii defectus, licet sint morte minores. Unde non est similis ratio.

QUÆSTIO XV.

De defectibus animæ à Christo assumptis, in decem articulis divisæ.

Primo considerandum est de defectibus pertinentibus ad animam: & circa hoc queruntur decem.

Primo, utrum in Christo fuerit peccatum.

Secundo, utrum in eo fuerit fomes peccati.

Tertio, utrum in eo fuerit ignorantia.

Quarto, utrum anima ejus fuerit passibilis.

Quinto, utrum in eo fuerit dolor sensibilis.

Sexto, utrum in eo fuerit tristitia.

Septimo, utrum in eo fuerit timor.

Octavo, utrum in eo fuerit admiratio.

Nono, utrum in eo fuerit ira.

Decimo, utrum simul fuerit viator; & comprehensus.

ARTICULUS I.

Utrum in Christo fuerit peccatum.

Insp. quest. xxxi. art. 7. & III. dist. vi. quest. 1. corp. fin. & dist. xii. quest. 1. per tot. & quod. vi. quest. xi. art. 1.

Ad primum se proceditur. Videtur quod in Christo fuerit peccatum. Dicitur enim in Psal. xxi. 1. *Deus, Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longe à salute mea verba delictorum meorum.* Sed hæc verba dicuntur ex persona ipsius Christi, ut patet ex hoc quod ipse ea in cruce protulit. Ergo videtur quod in Christo fuerint delicta.

2. Præterea. Rom. v. 12. dicit Apostolus, quod in Adam omnes peccaverunt, quia scilicet in eo originaliter fuerunt. Sed Christus etiam originaliter fuit in Adam. Ergo in eo peccavit.

3. Præterea. Apostolus dicit Hebr. 11. 18. quod in eo in quo Christus passus est, tentatus, potens est, & his qui tentantur, auxiliari. Sed maxime indigebamus auxilio ejus contra peccatum. Ergo videtur quod in eo fuerit peccatum.

4. Præterea. II. ad Corinth. v. 21. dicitur, quod Deus eam qui non noverat peccatum, scilicet Christum, pro nobis peccatum fecit. Sed illud vere est quod à Deo factum est. Ergo in Christo vere fuit peccatum.

5. Præterea. Sicut Augustinus dicit in Libro de agone christiano (cap. xi. in fin.) *in homine Christo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius Dei.* Sed homo indiget exemplo non solum ad recte vivendum, fed etiam ad hoc quod peniteat de peccatis. Ergo videtur quod in Christo debuerit esse peccatum, ut de peccatis penitendo, penitentia nobis daret exemplum.

Sed contra est quod ipse dicit Joan. vi. 11. *Qui ex vobis arguit me de peccato?*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 1. & 2. huj. quest.) Christus suscepit defectus nostros, ut pro nobis satisfaceret, & ut veritatem humanæ naturæ comprobaret, & ut nobis fieret exemplum virtutis. Secundum quæ tria manifestum est quod defectum peccati assumere non debuit. Primo quidem quia peccatum nihil operatur ad satisfaciendum; quinimmo virtutem satisfactoris impedit: quia, ut dicitur Eccl. xxxiv. 23. *dona iniquorum non præbent Altissimus.* Similiter etiam ex peccato non demonstratur veritas humanæ naturæ: quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cujus Deus est causa; sed magis est contra naturam per seminationem diaboli introductum, ut Damascenus dicit (Lib. II. orth. Fid. cap. xxx. ante med. & Lib. III. cap. xx.) Tertio quia peccando exemplum virtutis præbere non potuit, cum peccatum contrarietur virtuti. Et ideo Christus nullo modo assumpsit defectum peccati nec originalis, nec actualis, secundum illud quod dicitur L. Pet. 11. 22. *Qui peccatum non fecit.*

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Damascenus dicit in III. Lib. (orth. Fid. cap. xxv.) dupliciter dicitur aliquid de Christo: uno modo secundum proprietatem naturalem, & hypostaticam, sicut dicitur, quod Deus factus est homo; & quod passus est pro nobis; alio modo secundum proprietatem personalem, & habitudinem, prout scilicet aliqua dicuntur de ipso in persona nostra, quæ sibi secundum se nullo modo conveniunt. Unde & inter septem regulas Ticonii, quas Augustinus posuit in III. de doctrina christiana (cap. xxxi.) prima ponitur de Domino, & ejus corpore, cum scilicet Christi, & Ecclesia una persona estimatur. Et secundum hoc Christus ex persona membrorum suorum loquens dicit Psal. xxi. 2. *Verba delictorum meorum, non quod in ipso capite delicta fuerint.*

Ad secundum dicendum, quod, sicut dicit Augustinus X. super Genes. ad lit. (cap. xix. & xx.) non eodem omni modo Christus fuit in Adam, & in aliis patribus, quo nos sibi sumus. Nos enim sumus in Adam secundum seminale rationem, & secundum corpulentam substantiam: quia scilicet, ut ipse ibidem dicit, *cum sit in semine & visibilis corpulentia, & invisibilis ratio, utrumque ecurrit ex Adam; sed Christus visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio vero conceptionis ejus non à semine virili, sed longe altera, ac desuper venit: unde non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam.* Et ideo Christus non accepit active ab Adam humanam naturam, sed solum materialiter, active vero à Spiritu Sancto; sicut & ipse Adam materialiter sumpsit corpus ex limo terræ, active autem à Deo. Et propter hoc Christus non peccavit in Adam, in quo fuit solum secundum materiam.

Ad tertium dicendum, quod Christus ex sua tentatione, & passione nobis auxiliatus est, pro nobis satisfaciendo. Sed peccatum non cooperatur ad satisfaciendum, sed magis ipsam

impedit, ut dictum est (in corp. art. & quest. rv. art. 6. ad 2.) Et ideo non oportuit quod peccatum in se haberet, sed omnino esset purus à peccato: alioquin poena quam sustinuit, fuisset sibi debita pro proprio peccato.

Ad quartum dicendum, quod Deus fecit Christum peccatum; non quidem ut in se peccatum haberet, sed quia fecit eum hostiam pro peccato; sicut & Osee iv. 8. dicitur: *Peccata populi mei comedent, scilicet sacerdotes, qui secundum legem comedebant hostias pro peccato oblatas.* Et secundum hunc modum dicitur Isa. lxxv. 6. quod Dominus posuit in eo iniquitatem omnium, quia scilicet eum tradidit, ut esset hostia pro peccatis omnium hominum, vel scilicet eum peccatum; id est habentem similitudinem carnis peccati, ut dicitur Rom. viii. Et hoc propter corpus passibile, & mortale, quod assumpsit.

Ad quintum dicendum, quod penitens laudabile exemplum dare potest; non ex eo quod peccavit, sed in hoc quod voluntarie poenam sustinet pro peccato. Unde Christus dedit maximum exemplum penitentibus, dum non pro peccato proprio, sed pro peccatis aliorum voluit poenam subire.

ARTICULUS II.

Utrum in Christo fuerit fomes peccati.

Insp. quest. xxvii. art. 3. corp. & ad 1. & III. dist. xvii. quest. 1. art. 1. quest. 2. ad 4.

& quest. 11. cap. cxxxvii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in Christo fuerit fomes peccati. Ab eodem enim principio derivatur fomes peccati, & passibilitas corporis, sive mortalitas, scilicet ex subtractione originalis justitiæ, per quam simul inferiores virtutes subdebantur rationi, & corpus animæ. Sed in Christo fuit passibilitas corporis, & mortalitas. Ergo etiam in eo fuit fomes peccati.

2. Præterea. Sicut Damascenus dicit in III. Lib. (orth. Fid. cap. xiv. & cap. xv. ad med.) *beneficentia divina voluntatis permittitur carni Christi pati, & operari quæ propria.* Sed proprium est carni ut concupiscat delectabilia sibi. Cum igitur nihil aliud sit fomes quam concupiscentia, ut dicitur in Glossa Rom. vii. (interl. & ord. sup. illud, *Nam concupiscentiam nesciam;*) videtur quod in Christo fuerit fomes peccati.

3. Præterea. Ratione fomitis peccati caro concupiscit adversus spiritum, ut dicitur Galat. v. 17. Sed tanto spiritus ostenditur fortior, & magis dignus corona, quanto magis superat hostem, scilicet concupiscentiam carnis, secundum